

# CLEMENS PP. VIII.



Dilecto filio nostro Paulo tituli Sanctæ  
Cæcilie Presbytero Card.<sup>li</sup> Sfondra-  
to nūcupato Cōgregationis Oli-  
ueti apud Nos Protectori.



Illeste fili noster Salutem & Apostoli-  
cam benedictionem. Cupientes, pro  
nostra Pastoralis sollicitudine, statui Mo-  
nasteriorū Congregationis Montis Oli-  
ueti Ordinis Sancti Benedicti, ac Eccle-  
siarum parochialium illis subiectarum,  
seu vnitarum, quantum cum Domino  
possumus, opportunè prouidere, ac de tua prudentia, pieta-

A te, &





te, & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, Tibi quæcunq; eiusdem Congregationis Monasteria, etiam Apostolica auctoritate, & sub quibuscunq; verborum formis, clausulisq; priuilegijs, & indultis erecta, in quibus obseruantiam, & disciplinam regularem, & conuenientem Monachorū numerum, vt decet, manuteneri non posse iudicaueris, perpetuò suppressendi (ac in illis ordinem, & essentiam regularem extinguendi) fructusq; redditus, & prouentus eorūdem Monasteriorum sic suppressorum alijs Monasterijs eiusdē Congregationis, quibus tibi videbitur, vt in eis decentius diuinus cultus, & maior Monachorum numerus manuteneri possit, perpetuò similiter vniendi, applicandi, & incorporandi, Monachosq; & alios Religiosos in prædictis Monasterijs suppressis degentes ad alia prædictæ Congregationis Monasteria transmittendi, ipsaq; Monasteria suppressa, & eorū Ecclesias Clericis Sæcularibus, aut Confraternitatibus canonicè institutis, qui in illis diuinum cultum manuteneri valeant, perpetuò concedendi. Præterea in alijs quibuscunq; eiusdem Congregationis Monasterijs Monachorum numerum, qui ex redditibus eorundem Monasteriorū congruè sustentari poterit, eorundem reddituum, & facultatum singulorum Monasteriorum ratione habita, ita vt occasio proprietatis euitetur, & singulis Monachis ex ipsorū Monasteriorum fructibus quæcunq; sibi ad victum, & vestitum, ac pro itineribus de loco ad locum necessariò faciendis, alijsq; Religiosis eorum necessitatibus subleuandis necessaria fuerint, commoq; suppetantur, præfigendi, & constituendi, illumq; deinceps perpetuò obseruari statuendi, & man-



& mandandi, Et vt deinceps nulla Monasteria, in quibus in ipso erectionis actu viginti quinq; saltem Monachi, Sacerdotes, & Clerici, præter cōuersos & seruentes, ex proprijs Monasteriorum erigendorum redditibus, deceter manuteneri non possint, minimè erigantur, auctoritate nostra prohibendi, plenam, liberam, & amplam auctoritate prædicta, tenore præsentium, facultatem, & auctoritatē concedimus, & impartimur, Non obstan. Lateranen. Concilij nouissimè celebrati, vniones perpetuas, nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentis, ac nostris de vnionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero valore, etiam alterius beneficij, cui aliud vniri peteretur, alioquin vnio non valeret, alijsq; Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus, vel specialibus, ac prædictæ Congregationis, & ordinis, singulorumq; Monasteriorum huiusmodi etiam Iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis prædictis ordini & Congregationi singulisq; Monasterijs, ac Abbatibus & Religiosis illorum, & quibusuis alijs personis sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsq; efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis confirmatis & approbatis; Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, Cæterisque contrarijs quibuscunq; . Datum Romæ apud San-





**Actum Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Aprilis  
M. D. XCI X. Pontificatus Nostri Anno Octavo.**

**M. Vestrius Barbianus.**

**R O M A E,**

**Apud Impressores Camerales.**

**M. D. CI.**

18 A







## CLEMENS PP. VIII.

Dilectis filijs Abbati Generali, & Vi-  
sitatoribus Congregationis Mon-  
tis Oliueti Ordinis Sancti  
Benedicti.



**D**ILECTI filij salutem, & Apostolicam  
benedictionem. Ex iniuncto nobis Apo-  
stolicae seruitutis officio Religiosorum  
in primis regimini sollicitè incumbi-  
mus, prout in Domino salubriter con-  
spicimus expedire. Cōsiderantes itaq;  
quòd ad personarum Regularium ex-  
cessus corripiendos, & delicta punienda, aut etiam cum de  
illis inquiretur, ad eadem verificanda, seu probanda si rem  
per fori Iudicianij terminos experiri oporteat, sc̄p̄e euenit,

vt ca-





vt earundem personarum delicta, & errores non sine Religionum dedecore, & graui sæcularium personarum scandalo publicentur, ac interdum etiam ipsa delicta, & excessus ex defectu iuridicæ probationis impunita remaneant, licet Prælati eorundem Ordinum probabiliter, & secundum eorum conscientiam sufficientem causam habeant, subditos eorum à Prælaturis, & Officijs Ordinum absoluendi, & deponendi, præterquam quòd cum interdum aliqui huiusmodi Religiosi ad Prælaturas, & Officia Ordinis assumpti, in ijs gerendis, & administrandis minus apti, & idonei reperiantur, ex eorum imperitia sæpè etiam contingit, vt Monasteria, & loca Regularia eorum curæ, & gubernio commissa multa tam in spiritualibus, quam temporalibus damna, & incommoda patiantur, & demum cum interdum ipsæ personæ Regulares delinquentes ita caute, & occultè eorum errores, & excessus committant, vt iudicialiter cõdemnari nequeant, Superiorum auctoritatem nihili faciunt sicq; debita Superioribus obedientia, & Regularis disciplina pœnitus tollitur. Nos propterea pro nostra Pastoralis sollicitudine his malis, & incommodis, ne in ista vestra Cõgregatione Montis Oliueti eueniant, occurrere, & si quæ iam euenerunt, ea de medio tolli, & omnino remoueri cupientes, ac de vestra prudētia, integritate, Religionis zelo, ac experientia plurimum in Domino consili, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine vobis coniunctim procedentibus, & cum participatione, & cõsensu Dilecti filij nostri Pauli Tituli S. Cæcilie Presbyteri Cardinalis Sfondrati nuncupati eiusdem Congregationis apud Nos Protectoris, manu Regia, & sola facti veritate inspecta sine strepitu, & figura iudicij, omni, & quacunq; appella-





pellatione, restitutione, supplicatione, & recurſu penitus re  
motis quoſcunq; eiufdem Congregationis Monafteriorū  
Abbatē perpetuos, aut temporales, eorū demeritis ita exi  
gentibus, aut etiam propter eorum imperitiā, & inſufficiē  
tiam ab eorum dignitatibus Abbatialibus abſoluēdi, ac vo  
ce actiua, & paſſiua perpetuò, vel ad tempus arbitrio veſtro  
priuandi, necnon etiam per voſiſpoſ abſq; alio dicti Pauli  
Cardinalis Proteſtoris participatione, ac conſenſu alioſ  
quoſcunq; minores Officiales, videlicet, Vicarios, Cellera  
rios, & ſimiles pariter delinquentes, aut non ſufficiētes, eo  
rum Officijs perpetuò, vel ad tempus abſoluendi, deponē  
di, & priuādi, eiſq; tam Abbatibus, ſcilicet, quā alijſ Offi  
cialibus abſoluendis, deponendis, & priuandis huiuſmodi,  
alias etiam pœnitentias ſalutares, & Canonicas pro modo  
culpę iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, & Regula  
ria dictę Congregationis inſtituta (reſeruato tamen recur  
ſu in caſibus, in quibus de iure Canonico aliqua pœnę gra  
ues corporales veluti trirremium, aut ſimiles venirent impo  
nendę, iniungen., necnō quoſcunq; contradicētes, ac præ  
miſſis quouis modo ſeſe opponentes etiam per cenſuras &  
pœnas Eccleſiaſticas, aliaq; opportuna iuris, & facti reme  
dia cogendi, & compellendi, aliaq; in præmiſſis, & circa ea  
neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi,  
gerendi, & exequen. plenam liberam, & amplam facultatē,  
& auctoritatem, & poteſtatem, auctoritate Apoſtolica teno  
re præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtātibus  
quibufuiſ Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodali  
bus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitu  
tionibus, & ordinationibus, ac prædictę Congregationis, &  
Ordinis Sancti Benedicti, etiam iuramento confirmatione

Apo.





**A**postolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus Privilegijs quoq; indultis, & Litteris Apostolicis predictis Ordini, & Cōgregationi, ac Abbatibus, & Religiosis illorum, quibusvis alijs personis sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatorijs alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs Decretis in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permãsuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die quarta Februarij. 1599. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

**M. Vestrius Barbianus.**

**R O M A E,**  
**Apud Impressores Camerales.**

**M. D. C. I.**

R. 93973

1601

